

proinde completa substantia in ratione substantialitatis.

Substantia incompleta in ratione substantialitatis. Substantia quae ita est alteri unita, ut non solum cum eo componat unum esse specificum, sed etiam unum subjectivum operationis specificae principium in omnibus. Hujusmodi sunt animae brutorum.

Substantia simplex. Illa quae nec partibus physicis constat, nec in physicas partes resolvi potest; ut *anima brutorum, anima humana, angelus, Deus.*

Substantia composita. Illa quae ex certa certarum partium conjunctione constat; ut *homo, brutum, &c.*

Suppositum. Substantia quae est perfecte subsistens, sui juris et alteri incommunicabilis. *Aliter:* Substantia singularis quae per se integrum quoddam est atque completum; videlicet quae nec alterius pars est, neque uti pars spectari potest. Ex. *hic lapis, hic equus.*

Persona. Suppositum naturae rationalis. Ex. *hic homo.*

Accidens (praedicamentale). Entitas cui naturaliter convenit non esse in se sed in alio ut in subiecto. Ex. *quantitas, color, &c., in corpore.*

Accidens absolutum est *realitas quaedam*, distincta a substantia cui inhaeret ab eaque dependens quoad existentiam, sed insigniorem tamen in se exhibens entitatem quam affert substantiae ipsi. Hujusmodi sunt *quantitas, motus, color*, et alia hujus generis, quae ratione explicationis entitatis quam praeserunt, quasi ut quaedam diminutae substantiae concipiuntur, quamvis substantiae non sint.